



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Io. Baptistæ Portæ Neapolitani, Magiæ Natvralis Liber Decimvs Tertivs, In
quo de Re Ferraria agitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](#)

multaque declarabuntur, quae non aliam causam habent. Sed quomodo acceditur intus flamma, hoc opus hic labor est, liquor subtilissimæ substantiæ sit oportet, & minimæ evaporationis, vnde & si clausa vitro introducitur, permanebit, quod speculis, igne, industria, & solertia facile fieri potest: non extinguetur, quum nullibi aer immitti possit, repleturus intane phialæ: vel pabulum continuo soluitur in fumū, hic quum solui non possit in aerem, abit in oleum, & denuo accenditur, sic perpetuo fluxu pabulum ministrabit. Principia auditis, scrutamini, operamini, periclitamini.



IO. BAPTISTÆ
PORTÆ NEAPOLITA-
NI, MAGIÆ NATVRALIS
LIBER DECIMVS
TERTIUS,

In quo de Re Ferraria agitur.

PRO O E M I V M .



AM mōstruosos ignes edocuimus,
& priusquam ab eis discedamus, de
re ferraria dicemus, ignibus enim
agitur, non quod eius artē tractare
velimus, sed selectiora quadam se-
creta, non minus humanis usibus
necessaria ys, qua bucusque recensuimus, præter
ea, qua in Chymicis tractata sunt. Fiunt ex eo o-
ptima, pessimaque vite instrumenta, inquit Eli-

Hb 4

nus, siquidem ad agriculturæ opera, & adiūtum con-
strunctiones eo utimur, eodemque ad bella, & cedes,
non continuo solum, sed missili, volucritique: nam ut
ocius mors perueniret ad hominem, aliter illam fe-
cit ipse, & pennas ferro dedit. Nas diuersas ferri
temperaturas edocebimus, & quomodo molle fiat, &
durum, ut non solum ferrum, aliaq[ue] durissima seiet,
sed porphyriticum marmor ipsum insculpat. Est in
summa ferri vis rerum omnium dominatrix.

Ferrum temperatura durius posse fieri.

C A P. I.

CLARISSIMO, notissimoque experimento car-
stat temperatura ferrum durari, idemq[ue] remolle-
scere, & quum diutius perquisissimus, an calidis,
siccis, frigidis, vel humidis durum, aut molle euade-
ret, c[on]tra perimus calida, & durum, & molle reddere, sic
frigida, sic alias qualitates. Aliud igitur excogitandum
est, vnde causas venemur, inuenimus contrarijs durum
euadere, amicis molle, tandem ad antipathiam, & sym-
pathiam est deuentu. Veteres putabant religione qua-
dam id fieri, & extare ferrream carenam apud Euphra-
tem amnem, in yrbe, que Zeugma appellatur, qua Ale-
xander Magnus ibi vinxerat potem, cuius annulos, qui
refecti sunt, rubigine infestari, parentibus ea prioribus.
Plinio, cæterisq[ue] videtur hoc negotium ex aquarū dif-
ferentijs nasci, fortasse succos, aut mineras aliquas sub-
terlabentes earum semina ferre, qua ferrum aut molle
aut durū reddi possit. Inquit. Summa autem differen-
tia in aqua est, cui subinde candens immergitur. Hac
alibi, atq[ue] alibi virilior nobilitavit loca gloria ferri, sicut
Bilibilin in Hispania, & Turiassonem, Comum in Ita-
lia, quinj[ue] ferraria metalla in his locis nō sint. Ex omni-
bus autem generibus palma Serico ferro est. Seres hoc
cum vestibus suis, pellibusq[ue] mittunt. Secunda Parthi-
co, neque alia genera ferri ex mera acie temperantur,
cæteris

cæteris enim admiscetur. Narrat Iustinus historicus, in Gallecia Hispaniæ præcipua ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior, quippe temperamento eius ferrum acrius redditur, nec ullum apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili fluuio, aut chalybe tingatur. Vnde etiam chalybes fluuij huius finitimi appellari, ferroq; cæteris præstare dicuntur. Etsi Strabo chalybes in Ponto iuxta Thermadontem fluuium fuisse dicat, Virgilius:

Et Chalybes nudi ferrum.

Tandem cōmuniter, ut Plinius dicit, oleo remollitur, duratur aqua. Tenuiora ferramenta oleo restingu& mos est, ne aqua in fragilitatem durentur. Nulla res nos ad altiora inuestigandum impulit, quam certum hoc experimentum, posse ferrum oleo adeo ignavum fatigere, ut manibus contorqueri, & frangi possit, & aqua adeo durum euadere, & contumax, ut alios ferreos cultros tanquam plumbum incidere videatur.

Ferrum quomodo remollescat. C A P. II.

DICEMVS primo ferrum quomodo remollescat, & tractabile fiat, vnde & chalybem in ferrum, & ferrum vi plumbū molle reddemus, durum remollescit pinguibus, vt diximus, & sine pingui solo igne, inquit Plinius. Ferrum accensum igni, nisi duretur ictibus, corruptitur, quasi diceret, quod chalybs ex se ipso remollescit, si sèpius excandescet, & ex se ipso in igne refrigerescat, & ferrum eo modo mollius euaderet. Possimus & varijs modis facere item

vi ferrum remollescat,

Perunctum oleo ferrum, cera, & asa foetida, & supra luttatum, paleatum, & stercoreatum, & resiccatum, accensis carbonibus incandescat per noctem, mox ex se frigescit, molle, & tractabile reperies. Vel tres partes sulphuris tollito, quadruplum argillæ puluerare, cum oleo remisceto, vt mollis fiat, inde ferrum loricatum, & resiccatum tumuletur viuis carbonibus, &, vt diximus, eodem modo vii poteris sepo, & butyro. Fila ferrea

Hh ,

ignita si per se refrigerescant, adeo duæilia & mollia eundunt, vt lini vice ut possimus. Sunt & molles herbarum succi, pinguesque, vt maluæ, corticum fabæ, & eiusmodi similes, qui possunt & ferrum remollire, sed oportet calidi sint, quando ferrum restinguuntur, & succi, non aquæ distillatae, nam quibusuis aquis frigidis durius evadit ferrum, & oleo liquido.

Ferri temperaturæ in mollibus ferris exercenda.

C A P. III.

DI X I M V S ferrum quomodo mollius fieret, nunc temperaturas demonstrabimus, quomodo acrius incidat. Sed pro diuersis vilibus diuersè sunt temperaturæ, nam aliam exposcit ferrum panem, lignum, lapidem, aut ferrum incisurum temperaturā, id est, diuersorum liquorum, & diuersam quoque ignitionem, & tempus extinctionis in liquoribus, vt hinc res pendeat. Quia ferrum ignibus flagrantissimum excendet, vt magis igniri non possit, vt scintillet, argentum vocant, & tunc non extinguitur, quia consumeretur. Si vero crocco coloretingitur, aut rubro, aurum dicitur, aut roseum, & tunc liquoribus extinctum durius efficitur, hic colot extinctionem exposcit. Sed animaduertendum si totum ferrum temperatur, vt color costuleus sit, vd violaceus, & ensis, aut acies vt scalpri, aut styli, in his quia reliquum ferrum suo calore iterum distemperat ferrum, tunc attendeadi secundi colores, vt pote quum ferrum extinguitur, & tunc immersum durum efficit, postremus cineris color est, & hinc extinctum minus omnium durum efficitur. Si ad exempla accedemus. Sic habetur

Cultri temperatura pro incidente pane.

Vidi non paucos ingeniosos pro eiusmodi temperatura laborasse, qui cum cultris ad omnia durissima incidenta paratos haberent, satis difficile in mensis panem incidebant. Nos tali temperatura voti compotes reddimus. Ut panem igitur cedat, chalybs molliter temperetur hoc modo. Chalybem, qui confractum corpus ex minimis granulis congestum ostendit, & optime à ferro

ferro repurgatum, leuiter calefacimus, & malleo percutimus, vt in cultrum efformemus, mox lima querimus, & in cultri formam accommodamus, rotaq; perpolimus, tandem igni imponimus, vsque donec violæ color appareat: sapone perlinitur, vt cōspectius color exigne cognoscatur, tunc ab igne amotum linteo oliuæ oleq; madido perlinitus aciem, vsque donec refugescat, sic chalybis duritiem olei, & paucæ excalefactionis blanditie delinimus. Paulo ab hac diuersa erit

Ferri temperatura pro ligno.

Paulo durior temperatura erit pro ligno incidendo, sed etiam blanda, ideo ferrum ad eundem violæ colorem deueniat, & tunc mergatur aquis, detrahitur, & vbi ci-zeritus aduenerit, projiciatur in aquā frigidam. Non admodum diuerse temperatur

Ferrum prophlebotomia.

In oleo restinguatur, & durum euadit, quia delicatum, & subtile si in aquis extingueretur, distorqueretur, & rumperetur

Ferri temperatura pro falce herbaya.

Post ferri in falcem cōcinnationem, excandescat in auræ colorem, & tunc oleo mergatur, vel sepo perungatur, quia subtile ferrum est, & si aquis extinguitur, aut friatur, aut contorquetur.

*Quomodo quibusdam misturis ferrum durissime tem-
peretur. CAP. IV.*

Nunc quasdam res demonstrabimus, quarum proprietas erit ferrum durissimum reddere: nam ferrum illud, quo pro instrumento vtendum erit ad aliud ferrum malleandum, perpoliendum, & accommodandum, multo eo valentias esse est opus, vnde declara-

Ferri temperatura pro limis.

Nam ex perfectissimo chalybe oportet fit, optime quo & acriter temperatum, vt aliud recte expoliat, & consinnet. Sunt autem yngulæ boum, & furno ad exiccamandum indantur, vt in puluerem rite verti possint, cuius

partem cum tantundem salis communis, vitri cōfracti, & fuliginis camini opime remisceatur, conseruanturque, ac ligneo vase fumo suspensa recondito ad usum, nam sal quavis aeris, aut loci humiditate liquefit: parato puluere, cōcinnetur ferrum in limæ formam, mox cancellatim, decussatimq; acuta scalpti acie incidito, dum ferrum tenerum, ac molle reddideris, ut diximus, mox arcula ferrea efficiatur, quæ condendis limis sufficiat, limæ intus condantur, vicissim pulueribus inspersis, ut vndiq; immersæ sint, inde cooperulum inditur, & fissuræ luto paleato obducuntur, ne pulueris fumus exhalat, & succensis carbonibus cumuletur, ut per horā plus, minus conflagret, ubi absumptum, combustumq; puluerem coniceris, exime è carbonibus, ferreis forcibus, arculam, & limæ in aquam frigidissimam mergatur, & sic vehementissime durescunt. Hæc usitata ellimæ temperatura, quia non timemus, si lima aqua frigidis distorqueatur. Nos autem ita optime

Alio modo temperare

docebimus. Ex hircorum cornibus detrahatur medulla, desiccatur, & in puluerem convertatur, inde limas in arcula cōditas cū hoc puluere inspersas recōde, & idem opus exequere. Hoc tamen addendum, ut duę limæ addantur supernumerarij, eo artificio, ut ex arcula possint ad libitum, postquam vero tumulatam carbonibus arculam pulueris vim hauiisse putabis, extrahē vnam ex supernumerarijs, eamq; temperato, & frangito, & si optimè intus vndiq; granulatum, & purum chalybem inuenieris, & ex voto successisse, amone ab igne arculam, eodemq; modo temperato, sin minus diutius immorari finito, & aliqua intermissa morula, ex supernumeraria alia experimentum cape, usque dum perfectissimam habeas. Eodem modo poterimus

Cultros durissime temperare.

Accipito recentem bouis vngulam, eam calefacies, & malleo ex latere percutes, nam resiliet foris medulla, furno resiccatur, &c, ut diximus, accommodentur in olula, semper duos supernumerarios addēdo, qui eximi possint,

possint, experimentum capiendo optimæ versionis in chalybem, & eandem operiam impendendo durissimi sunt. Docebimus

Lorica quomodo temperari debeat.

Requirito loricam ferream mollem, & vilis pretij, quæ in ollam indatur, vicissim sparsis pulueribus supra memoratis, & operculatae, & superlutatae, ne expiret, sufficientem adhibeas ignem, mox suo tempore ollam ferreis forficibus apprehendito, & malleo olla pereusla, ignitam totam loricam in aqua prænarrata extingues: nam ita durissima efficitur, ut facile pugionum ictibus obsistat. Mensura pulueris erit, si loria decem, aut duodecim libras æquabit, duas, & dimidiam libras puluetis appone. Ut vndique adhæreat puluis, madefacito loricam aqua, mox in puluerē reuolues, & alterna stratura in ollam accommoda. At quia durissima effecta est, ne vehementi ictu frangatur annuli, & in partes dissilient, oportet duritiei nerū addere, operarij reuenire dicunt. Ex aqua exempta in dolio exagitetur ex aceto, ut poliatur, & color perspici possit. Inde lata lamina ferrea ignatur, & loricæ pars, vel tota supra distendatur: ubi color cinerius, operarij beretinum dicūt, apparuerit, denuo in aquam proiecito, & retunditur ea durities, & facilius ictui cedet, & sic ex vilissima loria omni ictui repugnantem habebis. Acrium temperatura durities ferro conciliatur, & cum eo fragilitas, sed nisi neruus addatur, leui ictui in partes dissilit, ob id necessariū est, ut neruum conciliare perfectissimè addiscant.

Liquores ferrum durissimè temperantes. C A P. V.

DIXIMVS antipathia ferrum cōstringi, sympathia dilatari, pinguium amico cōsortio fruitur, & aperiuntur pori, vnde mollices, contra astringentia, frigidaq; constipantia poros, inimica contrarietate durissimum reddunt, ob id facere evidentur, non omitendo tamen, quæ sui proprietate id agant. Si optaretur

Serram temperare, quæ ferrum fecet.

Serra ex optimo chalybe fiat, & suo armamento accom-

modetur, ne extinctione intorqueatur. Inde canalem lignicum parato, longitudine setri serræ; qui continet liquorum ex aqua, alumine, & urina, flagrans ferrum immerge, & amoue, & expecta colores, ubi violaceus venerit, totum immerge donec frigescat. Non omitimus tandem æro filo id posse fieri in arcum tenso, Smiri puluere, & oleo, nam ferrum, ut lignum secabis. Temperantur etiam

Hami pectorij, ut fiant durissimi.

Pars venationis piscium hamus erit: nam parvus & fortis sit oportet, si magnus, à piscibus videtur, nec degluttitur, si parvus ingenti pondere, & agitatione rumpitur, si mollis, dirigitur, evaditque; piscis, ut igitur validi, subtiles, nec ore dirigi possint, hoc pacto temperabis. In messorijs falcibus fiant ferrea fila, vel ex optimo chalybe, & formentur hamis, subtiles, & parvi. Igni non excandescant, nam eos exest: Sed ignitæ laminæ fentæ superponantur, ubi rufescunt, in aquam proiiciantur, refrigerati capiuntur, resiccanturque; mox denuo lamina calida reddatur, & hamis denuo imponantur, ubi vero cinerius color, aut beretus vulgo apparuerit, denuo in aquam immagnetur, ut neruosi fiant, nam fragiles essent. Sic habes

Cultri ut durissimi fiant.

Albertus, à quo cæteri, ferrum acrius fieri dicit, si temperetur succo raphani, & aqua lumbricorum terrestrium, ter, quater, quod nos quum sæpius & succo raphani, & armoraciæ, & lumbricorum temperauerimus, semper mollius, ut plumbum euenit, & falsum reperimus, ut cætera sua. Sed hoc modo chalybem durissimum efficiemus, ut eo solo fine températur, durissimós cultros efficias. Diuides chalybem in parua frustilla, veluti lusoria tesseras, atque contingua superligentur virgine ferreæ, ferreo filo religando, igni imponatur, ut excandescant, & scintillent saltem quindecies, merganturque his pulueribus, qui constat boracis nigrae parte una, corticum coclearum, ossis sepiæ duabus, mox malleo contunde, et simul vniuantur, & cultros, aut quæuis alia efformabis,

bis, nam durissima erunt. Est enim species chalybis excellentissima: quæ solum aquis temperata durissima efficitur. Est & altera minus bona, quæ nisi optimè temperetur, semper peior euadit. Hæc est

Scalpri temperatura ad incidenda marmora.

Ex optimo chalybe formetur scalprum, igni excadeat, ubi roseus color, vel rubeus fuerit, aquis intinge, mox temoue, & secundus color attendatur, ubi aureus apparuerit, in aquam projicito. Similiter modo fit

Scalprum ad ferrum secundum.

Vbi idem rubens rosæ color apparuerit, mergatur in aquam, vel acrem liquorem, quem docebimus, & attendens secundus erit fuluus, vel frumentaceus, & illico in aquam proifice. Hæ sunt optimæ

Ensium temperatura.

Oportet enses neruosos esse, ne, dum punctum ferimus, trumperantur, oportet etiam acutam aciem habeant, ut cum cæsum ferimus, obrunceant, secentq; : hic erit modus. Oleo, & bulyro corpus temperabis, ut neruum habent, acribus aciem, ut cæsionis robur recipient. Idque vel canalibus faciunt ligneis, vel laneis pannis madidis liquore: utere ingenio, & solertia.

De scalpri temperatura, quod porphyreticum marmor incidat. CAP. VI.

VALE familiariis maioribus nostris fuit scalpri temperatura, quo tam facile porphyreticum marmor incidebant, ut infinita testantur opera, quæ ad nos peruererunt, sed modus à nemine traditus, ac penitus ignotus, non sine maximo nostri temporis opprobrio, quod pulcherrimas, & utiles inueniones negligit, & parui pendit. Nos ut ab hac noxa immunes essemus, anxietate, laborib. & impensis quæcunq; ad manus venerant, vel in mentem, experti sumus, varijs methodis, varijsq; experientijs dirigendo, ut id assequi possemus, tandem, fauente numine, multo nobis latior apparuit aditus

ad hæc & maiora assequenda. Nec pigebit recensere, quæ, dum id tētaremus, casu inuenimus. Negotiū inter has difficultates versabatur. Si temperatūra nimis acris & robusta erat scalpi, vehementissimo mallei istū in partes dissiliebat, si vero mollis, replicatur, nec marmor signat, ob id durissima, & nervosa futura, ut nec ieiucēdat, nec dissiliat. Præterea succos, vel aquam, in quibus ferrum temperādum, claram, & lypidam oportet esse, nam si turbida fuerit, colores ex calore prouenientes non videntur, vnde tempora immergendi ignorabuntur, vnde omne dependet, clarū gitur, & repugnatiūci, tempus temperaturæ ostendunt. Colores maximè attendendi sunt, nam tempus mergendi, tollendi, ostendunt, & quia durissimū ferrum euadat oportet, & neruofsum, ideo color erit mediū inter argentū, & aurum, & hoc colore aduentante, tota mergatur scalpūcies in liquorem, & tantillo temporis elapsō, remouetur, & ubi violaceus apparuerit, iterum in liquore mergatur, ne calore adhuc in scalpro perdurante, denuo temperaturam peruerat. Est tamen etiam maxime attēndendum, ut liquores, in quibus scalprum temperatus, sint frigidissimi, nā si calidi fuerint, minus operabuntur, nec eō liquore, in quo semel est extinctum ferrum, denuo aliud immegas; nam quin calidū sit, nil operabitur, sed in alium recentem & frigidum, & hunc interea in vitro vāsculo aliquo frigidę aquę innatare cogat, ut citō restigescat, & operi frigidissimum habeas. Hæ tamen sunt

Durissimæ ferri temperaturæ.

Si ferrum ignitum acetō distillato immerges, durum euenerit, idem euenerit in vrinam distillatam, ob salēm, quem in se coatinet. Si in rōrem temperabis, qui Maiorā mense supra ciceris folia reperiūr, durissimū euenerit, nam supra cogitatū falsum est, ut ex Thcophraſto alibi docuimus. Acetū, in quo sal ammoniacus dissolutus erit, vehementissimæ erit temperaturæ, ac si ex sale vrinæ, & halinitro in aqua dissolutis, ferrum temperabis, durissimum fiet. Vel si halinitrum, & salēm ammoniacum

Hiacum puluerabis in vitro vase longioris colli clausum sub simo, aut locis humidis pones, vsq; donec vertatur in aquam, in quam excandescens ferrum immagatur, melius operatus fueris. Præterea in liquorem calcis viue, & salis sodœ penicillo purgatum immersum ferrum, durissimum quoque euadet. Hæc omnia optima sunt, & opus exequuntur. Hæc tamen longè meliora ponemus.

Ferrum temperare ad porphyreticum marmor incidentum.

Fugitiuum seruum iam receptum, & postea exaltatum tape, & vitro vase claude, donec extabescat aqua, vel igne, scalprum ita obdurabit, ut facile compos fias voti, sed si nimia duritie fragile eueniet, addito plus liquoris, sin minus, corporis; hoc tamen tantisper curato, dum operis mensuram adinueneris, nam & forte, & neruoso ferrum euadet. Idem & optimè eueniet pythonis serpentis eluuie, & extabescētia, sal enim fortitudinem, pinguedo neruum dabit, & hæc sunt optima, & meliora, quæ in hoc genere experti sumus.

Quomodo porphyreticum marmor sine scalpro calare possimus. CAP. VII.

SUNT tamen alij qui idem agere sine scalbris conantur, sed valida, & vehementi aqua, eosq; hoc argumentum impulit: vidētes enim acetum, & acres succos supra marmor impositos in bullas extumescere, & illud corrodere opinati sunt, si vehementer, & validissimum liquorem ex acibus, & corrodentibus elicenter, futuri ut si te labore opus idem exequi possent: tandem hoc modo operam exequuti sunt. Accipe argentum viuum sublimatum, & salis ammoniaci parum, hæc, ut docuimus, distilla per vitrea organa, mox cape viridis æris, stanni in calcem redacti, ac pyridis lapidis parum, contere omnia cum sale gemma, & cōmuni, & ammoniaco, & distilla, & distillatum liquorem super feces aſfundere, & iterum distilla, & hoc iterum tertio facito, tandem serua liquorem vase bene operculato. Quum opus aggredieris, porphyreticum marmor hircino ſepo deli-

nito, solas eas partes intactas relinquito, quas excavare desideras, spondam accommodabis; ut dum liquorem supra affundas, ne hinc inde diffuat, & liquor impositus validissime exedit, vbi ab opere cessarit, projice, & nouam indito, id semper repetendo, donec excavaueris quoisque volueris, & tuum opus peregeris.

Quomodo ferrum coquatur, operibus ut sit tractabile.
C A P. VIII.

V A M P L V R I M I sunt, qui diligentissimè obseruantur, perquiruntq; quomodo secreta quadam arte adeo ferrum temperari possit, vt ne rumpatur; vel tormentorum sclopis ne perforetur. Sed hi, quæ in manibus habent, non curant, quod nō habent, perquirunt nam si dum coquitur ferrum, consideraret, fortasse quod tanto studio quærunt, ante oculos haberent. Dicimus igitur, quod ratio, cur enses rumpantur, & in partes disfiliant, & pectora ferrea sclopetorum ierbibus transciuntur, est, quia in ferro rimæ sunt, diuersi: quæ in partibus hiscit, & partes satis male consolidatae, & quia vix visu percipiuntur squamulæ, causa est, vt quum incurvatur, vel percutiuntur, rumpantur: nam si solerter animaduertes, vbi enses, vel cultri in partes exiliant, semper eiusmodi fissuras, & rimas inuenies, & solidæ partes infraetæ semper, & curvaturæ resistunt. Sed quum rimarum causam perquirerem, tandem compiri in ferrariis officinis, vbi ferrum percoquitur, supra ferrum cumulant carbones, & carbonum quisquilijs, dicentes ferrum contumacius coqui, nisi quisquilijs, & carbonis pulvere tumuletur, & cum puluere semper commixtus lapillus, creta, variae fôrdes, laterum fragmenta, aliaq; assulatim congesta, quæ quum in igni liquecant, in superficie bullosas quasdam congeries, vel intus inanitatas, & fissuras causantur, vt minus partes cum partibus coire possint. Vnde & si res vilissima, paruæque considerationis, tamen in causa est, vt hæc inconuenientia succedant, vt igitur hoc impedimentum amoliamur, id censurimus faciendum. In ligneam tinam aquæ plenâ carbuncles projicimus, nā & ipsi in superficiem feruntur (lapi-

des vero, sordes, & lateres deorsum suo nutu procambunt) natantes excipiuntur, & exiccantur, atque his in operibus vni, proh Di, boni quam utile inuentum nacti sunt, nam enses, cūltros, clypeos, loricās, & alia eiusmodi armāēta adeo perfecta fecerint, vt longissimum, & tedium sit recensere: nā ferrea pectora, quae vix duodecim librās transcederent, scloporum ictibus imperiū vidimus. Vnde si temperaturam his addemus, longe meliores consequentur effectus.

Quomodo Damasceni cultri effigi possint. C. A. P. IX.

NVNC operationes aliquas apponemus non iniuncandas, scilicet quomodo Damasceni cultri iam abolitas maculas rediuias faciamus, & easdem maculas alijs cultris inducamus. Si velimus igitur

Obliteratas Damasceni cultri vndas rediuis-
uas facere.

Expoliatur pugio, ensis, vel culter optimè, simili puluere, & oleo, & calcem demum purgetur, vt nulla parte obrenebratus, sed vndiq; clarò nitore coruscet, tunc citrī succo, & remisto cum aqua cōriātorum, quae ex chalcāntho cōficitur, madescat totus: nam quum siccescit, illico maculae suis locis redibunt, vt vndis fluitare videantur. At si velis

Maculas in cultris Damascenis effingere,

Idque satis optimè, vt vix à Damascenis internoscantur. Perpoliatur culter satis optimè, vt diximus, ac calcem detergatur, tunc calcem cum aqua remistam manibus agitabis, ac digitis contigendo, ferraciem postea perpolitam contingas, & maculas ex libitu induces, & effinges, vt quę fieris igni, vel Soli resiccati curato, aquam paratam habeas, in qua chalcāthum sit dissolutum, & supra perlinito, nam ubi calx absuerit, tinget nigro colore, mōra temporis interiecta, à quis madefactio, & abluere, ubi calx adfuit, sine tintura erit, & letaberis de effectu. Poteris calce linearum discursus vndulatim effingere. Si quis affectabit

Damascenum chalybem in opus ducere,

Hoc modo poteris: nā impertractabile est sine arte, ni-

mio calore in partes friatur, frigidum contumax, sed arte ex ruptis ensibus perbellè cultri efficiuntur, & rotulæ, & tabellæ, quibus fila aurea, & argentea traiiciuntur, & complanantur, ut in textile opus duci possint. Admove sensim igni, vt excandescat usq; ad aurum, sed igni pro cinere gypsum excoctum subiicias, & aqua tare factum: nam absq; gypso malleando, in bullas extumescit, & resilit, & abit in scorias, vel scobes.

Ferrum perpolitum quomodo à rubigine vindicetur.

C A P. X.

AD eo utile est ferrum à rubigine vindicare, quamplurimi fuerint, qui vestigando laborant quomodo id facile possit fieri. Plinius dicit. Ferrum à rubigine vindicatur, cerussa, & gypso, & liquida pitt. Sed quomodo cerussa fieri possit, non explicat. Tamen qui oleum ex cerussa conficeret sciunt, sine aceto, perlitio ferro facile à rubigine vindicatur. Sunt qui sepo ceruno perunctum ferrum rubigini immune seruant, nos autem usi sumus pingui vnguum boum.

IO. BA